



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Conclusio LI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN  
deglubunt modo, sed deuorant eos corpore & anima, uere sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis &c.

CONCLUSIO LI.

Docendi sunt Christiani, quod papa sicut debet, ita uellet etiam uendita (si opus sit) basilica S. Petri, dare illis, a quorum plurimis quidam a concionatores ueniarum pecunias eliciunt.

SIC B. Ambro. calices conflauit, pro redimendis captiuis, & B. Paulinus Nolamus seipsum captiuum tradidit, p. suis. Et ad hoc ipsum habet aurum ecclesia, ut est in decretis ex eodem Ambro. sumptum. At nunc bone deus, quanti sunt q. ligna, imo folia portat in syluam, & guttulas suas in mare, id est, obolos suos in marsupium illud cuius (ut Hieronymi uerbis utar) lucet, est totius orbis religio.

CONCLUSIO LII.

Vana est fiducia salutis, per literas ueniarum, etiam si commissarius, imo ipse papa impignoraret animam suam pro illis.

HOC Hoc quoque portentum audent sine omni fronte proferte ut timorem dei ab hominibus tollat, per indulgentiasque secum ad indignationem dei perducant, contra dictum Sap. de peccato propiciato, noli sine metu esse. Et iterum, Delicta quae intelligit. At inquit, Non tollimus timorem dei. Si potest securitas per uenias stare, cum timore dei, uere non tollitis, sed populus acceptis literis, cum tanto iuramenti hiatu commendatis, si timet, quod non sufficiunt literae coram deo, quomodo erit uera, illa gloriosa securitatis promissio: Sin confidit sufficere, quomodo timebit. Infelix sit omnis ille sermo in aeternum, qui securitatem & fiduciam, suadet in aut per rem quamcumque praeter nudam misericordiam dei, quae Christus est. Omnes sancti non solum timent, sed etiam desperantes dicunt, Non intres in iudicium cum seruo tuo domine. Et tu eos per literas securos introducis in iudicium eius. Unde ego illam fabulam, quam quidam in tam effrenes mendacii gurgites finxerunt, non ueritate penitus uacuum credo, scilicet uenisse quendam mortuum cum literis ueniarum ad infernum, per easque petisse libertatem, tunc occurrisse daemone, qui legens, inter manus (praeter feruore ignis) ceram & papyrus consumpsit, secumque traxit in profundum.

CONCLUSIO LIII.